



Disputatio juridica inauguralis de testibus

<https://hdl.handle.net/1874/347251>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
T E S T I B U S,
Q U A M,

30.

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in

Ecclesiâ Praconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

BERNARDUS LAMBRECHTSEN, Zirikzeâ Zeland.

A.D. 2. Septembri, horis locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc LXXXIX.

*Amplissimo Gravissimo
V I R O,
D. JOHANNI
LAMBRECHTSEN,
Urbis Zirikzeæ Ex-Scabi-
no, & ærarii ejusdem Civita-
tis Ex-Quæstori, Parenti suo
charissimo, dilectissimo, om-
niique filiali amore prosequen-
do, ac colendo*

*Hanc Disputationem Juridicam
Inauguralem*

Offert

BERNARDUS LAMBRECHTSSEN.

Auct. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TESTIBUS.

THESIS I.

Destes rectè definiuntur, personæ quæ ad fidem alicujus rei faciendam accidunt Wesenb. *in parait. ff. de testib.* Seu ut à Donello definiuntur, sunt personæ, quæ interrogatæ dicant aliquid factum esse, aut non esse. Illi vero demum pro testibus habentur, qui jure ad dicendum testimonium habiles sunt; sunt enim paria testem non producere, & talem producere testem, qui de jure testimonium dicere non potest §. ult. *inst. quib. mod. test. infirm.*

II.

Testes esse possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in civilibus quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege à dicendo testimonio excusantur *l. i. ff. de testib.*

A 2

Et

4 DISPUTATIO JURIDICA

Et debent esse habiles, idonei ætate, moribus, conditione; extra suspicionem, quod gratiae aut potentatui fidem suam sint postposituri, prætio non conducti l. 5. C. de testib.

I I I.

Testimonium prohibentur dicere aliqui, natura, uti mente capti, infantes: aliqui lege, uti impuberis, nisi sint proximi pubertati, doli capaces, & veritas aliter haberi non possit l. 3. ff. de Reg. jur. & 23. ff. de furt. Etiam pubes potest testari de iis, quæ in impuberi ætate vidi, salvo tamen desuper judicis arbitrio. Struv. b. 38. Qui judicio publico damnatus erit l. 3. §. 5. l. 19. ff. de testib. qui cum bestiis, ut pugnaret, se locaverit: qui ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepisse judicatus vel convictus erit. l. 3. §. 5. ff. eod. Sed hi lege julia de vi in reum publici judicii dicere testimonium prohibentur: ex quo non recte infertur, omnes hos simpliciter in aliis causis à testimonio arceri; nam in publicis judiciis, sicuti probationes evidentiores l. ult. C. de prob. ita & testes magis idonei atque integri, quam in causis pecuniariis requiruntur. Etiam prohibentur testari damnati repetundarum l. 15. ff. de testib. aut ob carmen famosum l. 21. eod. aut calumniam l. 13. eod. Item qui ob turpitudinem vitæ senatu moti sunt l. 2. ff. de Senator.

I V.

Prohibentur Advocatus & procurator quoque in causa, cui patrocinium præsttit testimonium dicere: l. ult. ff. de testib. Sive pro cliente sive contra illum producatur, ne arcana sibi commissa pandat. Quo referunt & casum auricularis confessionis sacerdoti factæ, quam revelare nefas est. Sed nec cedens in causa cessionarii, nec autor in causa ejus, qui rem ab ipso nactus est, si de ipsa illa re quæstio sit; nec executor in causa, quæ ei mandata est. l. ult. ff. eod. nec proxineta in negotio

I N A U G U R A L I S .

golio cui adhibitus , nisi partibus consentientibus. *Nov. 40.*
cap. 8. nec quisquam in causa ex qua lucrum sperat *l. 10. ff.*
de *testib.* præterea socius , in causa socii & re communi , non
simpliciter prohibetur esse testis ; sed ita si eodem uterque uta-
tur defensionis genere *l. 1. C. de comm. rer. alien. l. 10. §. n/r. ff.*
de appellat. In communi tamen crimine compellitur consors
& particeps ejusdem criminis , est enim suspicio , crimen de-
rivaturum esse in socium solum. *l. 11. C. detestib.*

V.

Ajunt multi , mulieres in causis capitalibus non posse esse
testes : in iis , quæ capitales non sunt , admitti. Horum sen-
tentia aperte legibus adversatur. Quippe prohibentur mulieres
specialiter in testamentis esse testes *l. 20. §. 6. ff. qui testam. fac.*
posse. §. 6. inst. de testam. ordin. In aliis ergo causis , quamlibet
graves sint testes esse possunt. Adhæc nominatim excipitur
mulier , quæ corpore quæstum palam fecit , quæque adulterii
condemnata est. *l. 3. §. 5. & l. 8. ff. de testib.* Reliquæ ergo in
judiciis , etiam publicis , & capitalibus audiuntur. Nam lex
Julia de vi , quæ mulierem quæstum facientem , & adulterii
damnata nominatim exceptit publicorum judiciorum fuit :
id est de publico , & capitali quidem criminis locuta est.

V I.

Infames a testimonio non omnes rejiciuntur , sed tantum
damnati publico judicio *l. 3. §. 5. ff. de testib.* possunt tamen
hi , uti ex alia causa infames , a judice si ita visum fuerit , re-
jici , cuius est , ex circumstantiis variis , quantum testi fidei
tribuat , perpendere. Inimicitiae capitales præcipue idoneum
testem minime faciunt , si tamen probentur *l. 17. C. de test.*
esse socios , & participes criminis , rejici debent *l. 11. C. eod.*
ubi rejiciens testem tales , ne videatur fateri crimen , non di-
cit , productum testem criminis esse socium , sed de criminе

A 3.

æque

6 DISPUTATIO JURIDICA

æque infamatum. De se confessum super sociis minime interrogabit judex. *ex l. fin. C. de accusat.*

V I I.

Ob inimicitias non repelli testem in causis civilibus, nisi capitales sint, multi volunt; in criminalibus repelli, etsi capitales non sint; sed non bene: leges enim inter causas civiles & criminales non distinguunt *l. 3. ff. de testib. l. 17. C. cod.* inter inimicitias capitales & nec capitales hanc agnoscimus differentiam ex *Nov. 90. cap. 7.* quod ob capitales statim repellatur testis: ob nec capitales audiatur quidem, sed ita, ut ubi ad disputationem ventum fuerit, adversus testem de inimicitias excipiatur. Quare cautius, qui, hanc judicis aestimationem esse contendunt, ut is aestimet, quæ inimicitia ad repellendum testem sufficient.

V I I I.

In re sua testis nemo esse potest *l. 10. ff. de testib. l. 10. C. eod.* pauperes aut plebeios homines vilioris conditionis, leges non prohibent esse testes, sed judici tantum præcipiunt, ut diligenter exploret fidem, & conditionem testimoniū: utrum Decurio an plebeius, locuples an egens sit, qui producitur *l. 3. ff. eod.* non ut illos duntaxat admittat, hos repellat, sed ut appareat, an ejusmodi sint, qui lucri causa videantur ad facinus quodvis prompti ac proclives. Evidem Justinianus *Nov. 90. cap. 1.* in urbe Constantinopolitana ubi maxima erat honestorum virorum copia, vetat audire opifices, non omnes, sed vilissimos, & sordidissimos *θηλοεις καὶ χαρπωτές humi repentes*, quibus verbis vilissimi & sordidissimi designantur.

IX. Vi-

INAUGURALIS.

I X.

Videndum quoque de illis, qui testimonii quidem dictio-
nem habent, sed quibus in vitis denuntiari nequit. Lege
enim Julia cavetur, ne invito denuntietur testimonium ad-
versus sacerum, generum, vitricum, privignum, sponsum,
sobrinum, sobrino natum, eosve qui priore gradu sunt.
Item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentum, viri, uxo-
ris: & ut ne patrono adversus libertum. *l. 4. & 5. de test.*

X.

Quod ad numerum testimoniū attinet certum est regulariter
tam in causis civilibus, quam in criminalibus duos requiri
testes, eisdemque ad convincendos reos cujuscumque etiam
sint dignitatis & existimationis sufficere patet ex *l. 9. C de test.*
dum enim illic sancitur unius testimonium non esse in judicio
admittendum, non obscure significatur testimoniū plurimum &
duorum testimonium esse admittendum. In criminalibus duos
testes sufficietes esse ad reum definitivè condemnandum du-
bitationem nullam amplius habet ita statuente Carolo V. *in*
const. crim. art. 67. Evidem fuit casus quidam in jure civili,
quibus plures quam duo desiderantur testes veluti in ultimis voluntatibus *§. 2. & 3. inst. de testam. ord. l. fin. C. de*
donat. mort. caus. Si vero testes auriti producantur, non oculati,
plures exiget judex, quoniam ut ait ille: *plures oculatu-*
tus unus quam auriti decem. Si viles & obscuri sint, qui pro-
ducti sunt, justa causa est plures producendi *l. 3. §. 2. ff. de*
testib. Alias numerus testimoniū, alias dignitas, & auctoritas,
alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua queritur,
fidem.

XI. Proa

3 DISPUTATIO JURIDICA

X I.

Producere porro debent testes sumptibus producentis, ne officium testimoniū, quod præstant dicendo testimonium ipsis damnosum evadat *l. 7 ff. de testam. quemadm. aper.* jam vindendum est, quinam sumptus præstandi sint, sumptus nempe competentes *l. 11. & 16. C. de testib.* hoc est convenientes, qui ex conditione, & dignitate personæ cujusque, qui in testem producitur estimari debent: unde liquet, non esse in potestate litigatoris & ejus, qui testes producit, suppeditare sumptus pro arbitrio, ut nihil præstet, nisi panem & potum quemlibet. Deinde non esse in ejus arbitrio, ut certam quantitatem, & unam omnibus testibus suppeditet: alia enim est conditio nobilis, alia pagani, alia civis honesti; alia rustici. Et si qui sunt, pro conditione personæ non solent proficisci, nisi equites & cum famulo aut famulis, in viaticum istorum omnium sumptus suppeditandi sunt, ut conditio hominum & animalium requirit. Ab illis sumptus præstandos esse testibus à quibus producuntur, justissimam & æquissimam rationem habet, ad eos siquidem testimoniorum commodum pertinet, ut onera igitur, & incommoda eisdem sequantur natura suadere videtur *l. 10. ff. de Reg. Jur.* Denique, præstandos esse sumptus venturis testibus, & hoc quidem ab initio, priusquam iter ingrediantur, ut habeant quo iter ingressi certos sumptus facere possunt & hoc est quod dicitur in *l. 6. §. 2. C. de appellat.* testibus vocatis sumptus præstandos esse itineris faciendi causa: non dicitur facti itineris, sed faciendi, ut intelligamus pecuniam ad futurum iter prærogari iis debere.

X II.

Producendi sunt testes post litem contestatam coram judice, sed si ante litem contestatam ad perpetuam rei memoriam

I N A U G U R A L I S .

riam producendi sint , tria requiruntur. *Primo* quod testes
sint senes; *Secundo* valetudinarii, ita ut mortis subdit pericu-
lum; *tertio* ut diu sint absuturi. Citari autem debet adver-
sarius ad videndum prestari juramentum à testibus , & ad in-
terrogatoria opposenda *l. 19. C. de testib. nov. 90. cap. fin.* Pos-
sunt & testes cogi etiam inviti ad testimonium dicendum, nisi
milites sint, aut senes: *l. 8. ff. de testib.* aut *Illustres l. 16. C.*
cod. aut publicani *l. 19. ff. eod.* aut cognatione vel affinitate
propinquiore juncti *l. 4. & 5. ff. eod.* Et venire debent ad ip-
sum judicem, nec sufficit attestacionem ab iis dari; quia non
testimoniis , sed testibus creditur. Interim ad honestas ma-
tronas, ad senes, & debiles, & ad personas egregias ipse ibit
judec. *l. 15. ff. de jurejur.*

X I I I.

Non potest testis is produci qui ante in eum reum testimonium
dixit l. 23. ff. de testib. id est , qui semel in reum criminis (fe-
cus enim est in civilibus causis) testimonium dixit produci in
eundem iterum nequit , fieri enim non potest, quin qui sa-
pius in eundem insurgit testis , inimicus appareat , videatur
que vitam ejus & sanguinem sitire ; at si in civili causa iterum
in eundem surgas , non propterea vitæ & fortunis ejus insi-
diare videberis. Alii juris interpretes tamen aliter accipiunt.
l. 23. ff. nempe , eum in quem ego jam ante testimonium
dixi , non posse alio judicio in me vicissim surgere , ob id
quod vindictæ magis privatæ , quam publicæ causa surgere vi-
deatur. Verum ea sententia , quanquam ab æquitate aliena non
est , verbis tamen. *l. 23.* parum quadrat. Nec potest quis testem
à se productum , postea ab alio contra se productum , reprobare *l.*
17. C. de testib. ubi duplex additur exceptio 1. nisi inimicitæ
invicem exortæ sint. 2. nisi , testes in alia causa corruptos esse,
probari possit. Productio vero testium non prima tantum
permissa est , sed & secunda & tertia; non item quarta; nisi
causa

B

10 DISPUTATIO JURIDICA

causa cognita , & præstito per producentem jurejurando , si-
bi testium priorum dispositiones non innotuisse *Nov. 90. cap.*
4. unus tamen idemque testis non nisi semel regulariter in
unaquaque causa producendus *l. ult. C. de testib.*

X I V.

Examinandi sunt testes secretò clam partibus , & singuli
seorsim , voce , non per scriptum , ut ex circumstantiis de
fide dictorum magis constare possit , præmisso juramento de
dicenda veritate , quia testi injurato non creditur *l. 9. C. de*
testib. potest tamen hoc juramentum remitti à partibus , cum
partium gratia sit introductum , cui renuntiare potest , licet
aliud obtineat in juramento calumniæ ; quia respicit publi-
cam utilitatem , scilicet ne calumniose lites protrahantur . Exa-
men autem fit super articulis , id est capitulis ipsius negotii
controversi ab actore prolatis .

X V.

Sunt autem plurima , quæ testibus valide opponuntur:
quorum alia sumuntur à circumstantiis personæ , alia à qua-
litate dictorum , alia ad formam examinationis . 1. A per-
sona sumuntur exceptions : ut si allegetur , testes esse inimi-
cos ejus in quem dixerunt : *Nov. 90. cap. 7.* domesticos *l. 3.*
C. de testib. 2. Contra dicta & testimonia excipitur , dicta
esse obscura . aut varia , ambigua , vacillantia . *l. 16. ff. de test.*
3. Contra formam excipi potest , testem examinatum esse in-
juratum *l. 9. C. testib.* aut super eo , de quo non juravit , ne-
que citatum , aut parte adversa non citata . Quæ omnia etiam
per testes probare post publicationem testimoniorum nihil im-
pedit . Quanta vero fides testibus productis , quanta ipsis re-
probationibus habenda sit , judicis providi ac circumspecti
erit estimatio . *l. 2. & 3. ff. de testib.* qui in genere magis credet
iis , qui id deponunt , quod naturæ negotii convenit *l. 21. §.*
ult.

I N A U G U R A L I S. II

ult. ff. eod. Magis affirmantibus, quam negantibus, oculatis,
quam auritis, dignioribus, quam humilioribus. l. 3. & 21.
§. ult. ff. de testib.

COROLLARIA.

I.

*Christianus bonâ conscientiâ juramen-
tum præstare potest.*

II.

*Jurâmenta per vim & metum extorta,
etiam à majoribus 25 annis, nullius
sunt momenti.*

III.

*Filius fam. Scoto Macedoniano renun-
ciare non potest.*

IV. Vim

LIBERIA V. URANI.

Vim vi repellere licet, modo fiat in con-
tinenti, & cum moderamine incul-
patae tutelæ.

LIBERIA V.

In criminalibus iudiciis ex solis præsum-
ptionibus nemo condemnari potest.

II



III

LIBERIA VI. Necessarium est
ut non possit.

VI